



**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Volumen ...**

Virtvtes Theologicæ. Libro Triplici Fidei, Spei, & Charitatis materias expono

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1663**

Cap. 16. Circa Ecclesiæ proposiotionem, quo fidei obiectum indiget.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80695](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80695)

Amittitur quidem. asserit dum ait in fidelitate fidem amitti. Nominem enim fidei intelligitur habitus infusus fidei: & nomine infidelitatis illud peccatum hæresis, quo quis discedit Deo in aliquo, quâdis in aliis positivè credat: est enim vera & absoluta infidelitas. Ita omnes Theologi præter Durandum, teste Gaspare Hurtado de fide d. 5. diff. 8.

¹⁷⁶ *Longe hæc probabilior sententia.* Longe hoc probabilius. Concedo enim, Catholicum, qui errore circa aliquod obiectum fidei sit hæreticus, si reliqua credat ob divinum testimonium, eadem firmitate ac antea credere. Hæc autem firmitas non provenit actui fidei ex habitu infuso, quia ex hoc non credit quovisque esse infidelis desinat: sed provenit ex divino testimonio, ob quod credit, quia ei falsitas omnino repugnat. Item fateor credere illum ferè eadem facilitate, ac antea, si eam antè hæresim habuit. Hæc tamen facilitas non provenit ex habitu infuso: sed tantum acquisito actibus supernaturalibus fidei: ex quo etiam provenit firmitas: non sumpta proinde fallibilitate, quia hæc provenit ex divino testimonio: sed sumpta pro immobilitate, qua habens habitum acquisitum credit: siue habitus iste acquisitus sit naturalis, quoad substantiam, ut nonnullis placet: siue supernaturalis, vii ego existimo, qui quidem quamvis supernaturalis non concurrat ad actum substantiam, sed ad eorum facilitatem: & est diuina speciei ab infuso, eoque imperfectior: imo & imperfectior ipsis actibus supernaturalibus; quia ab ipsis efficienter, ut à causis principalibus æquiuocis, producit.

DVBIVM XIX.

An possit quis certo evidenter cognoscere, se Fidei divinæ actum habere?

¹⁷⁷ *Potest plane.* Potest quidem. Quia nihil possumus magis evidenter experiri, quam nostri intellectus actum: actus autem fidei divinæ est intellectus nostri actus. Ergo potest quis certo cognoscere, se fidei actum habere. Sic Bonaventura in 4. dist. 23. dub. 4. Vega l. 9. in Trident. cap. 37. Favet. D. August. lib. 13. de Trinit. cap. 1. dum ait, *Videō, me credere, si credo.* Et iterum *Fidem, quando inest nobis, videmus in nobis.*

¹⁷⁸ *Non potest.* Minimè potest. Quia actus fidei divinæ est assensus elicitus ob revelationem divinam verè, & re ipsa factam, & non tantum apparentem: Fidelis autem quamvis evidenter cognoscit, se credere ob revelationem divinam: non autem cognoscit evidenter se ob revelationem divinam credere verè & re ipsa factam: quia non habet evidentiam illius: Ergo non cognoscit evidenter se divinæ fidei actum habere. Ita Valent. lib. 2. d. 8. question. 4. punct. 4. Paragraph. 6. Coninch. de fide disp. 14. dub. 14.

¹⁷⁹ *Cum his opinor.* Cum his opinor. Nam D. Augustinus solummodo asserit, & ratio primæ sententiæ tantummodo probat fidelem evidenter posse cognoscere, se credere ob revelationem divinam non tamen evidenter cognoscit, se credere

ob revelationem divinam verè, & re ipsa factam, ut fert nostræ sententiæ fundamentum.

DVBIVM XX.

An fidelis certo cognoscat actum Fidei divinæ se actum Fidei habere?

¹⁸⁰ *Cognoscit quidem.* Cognoscit quidem. Quia fidelis credit certitudine fidei divinæ Deum esse unum & trinum: Ergo eadem certitudine credit actum, quo id sic credit esse ob revelationem divinam. Nam si fide divina non crederet, eum actum esse ob divinam revelationem, postea formare, an fidei divinæ esset, & consequenter an obiectum illius esset verum. Sic Scotus in 3. dist. 23. Caiet. & Medina l. 2. question. 12. a. 5. Bannes l. 2. question. 6. artic. 1. Et indicare videtur Paulus 2. Corinth. ultim. dum ait, *Post mei ipsos ventate: si estis in fide, ipsi vos probate.*

¹⁸¹ *Non cognoscit.* Quia non est reuelatum à Deo, me credere fidei divinæ, seu me actum fidei divinæ habere: Ergo non possum fidei divinæ certus esse, me divinæ fidei actum habere: cum non possum fidei divinæ credere nisi id, quod Deus reuelavit. Ita Valent. l. 2. dub. 8. question. 4. punct. 4. Paragraph. 6. Coninch. de fide, d. 14. dub. 14. Torrian. l. 2. disp. 41. dub. 5. Becan. de fide, cap. 11. q. 5. Adamus de fide, q. 6. dub. 5.

¹⁸² *Hanc eligo sententiam existimans.* Hanc eligo sententiam existimans, Paulum non esse locutum de probatione infallibili fidei: sed tantum de probatione, quæ inducit prudentem, ac moralem certitudinem. Et quidem ad primæ sententiæ fundamentum fateor fidelem posse physicè formidare, & dubitare, an actus divinæ fidei quos elicit, fidei divinæ sint: & an obiectum eorum sit verum non tamen id posse licitè & absque peccato posse defendere, supposita prudente revelationis divinæ propositione. Sed sufficit de questionibus, quæ magis ad Scholas, quam ad tribunal conscientie spectare non abnego.



CAPVT XVI.

Circa Ecclesiæ propositionem, quo Fidei obiectum indiget.

¹⁸³ *Propono.* Propono, Ecclesiam post Christi Domini aduentum sic definitur. *Est congregatio fidelium, seu eorum qui fidem Dei sub speciali Sacramento signum, & sub eodem capite profitentur.* cap. Ecclesiæ, dist. 1. cap. Firmiter, de summa Trinit. & fide Cathol. Certe Cathecumeni etsi fidem firmatam habeant, non tamen sunt propriè membra. Quia non profitentur fidem sub speciali Sacramento signum: ideo sint ad meritum Ecclesiæ membra;

brauerentur enim salutem sicuti si in Ecclesia residerent. Hæretici autem sunt intra Ecclesiam, quatenus sub speciali Sacramentorum signo fidem aliquando professi sunt & ratione illius professionis Ecclesia potest, illos ponere, ac coëtere. Sunt extra Ecclesiam, quia reiciunt fidem, in qua reliqui fideles conueniunt: tum quia Ecclesia illos à se vt membra arida, & reliquo corpori exitialia reiecit. Peccatores vero ad Ecclesiam pertinent, & illius sunt membra iuxta illud *Mat. 13.* vbi Ecclesia comparatur sagene missæ in mare ex omni genere piscium congreganti, bonoque ac malos continenti. Demum excommunicati ad Ecclesiam spectant, & illius membra sunt, tum quia esse possunt membra viua, & Christo Domino inuisibiliter vnita per charitatem, si contriti existant. tum quia fidem non deserunt, sed solum à participatione communi orationis, ac suffragiorum Ecclesiæ excluduntur. Proprietates Ecclesiæ ad numerum septenarium reducuntur, vt ex omnium Catholicorum doctrina constat. Est etenim *Vna, Sancta, Catholica, Apostolica, Visibilis*, ab Spiritu Sancto gubernata, & extra quam salus esse non potest. De fide autem est, solum congregationem Romano Pontifici pro tempore existendi obedientem veram Ecclesiam esse, omnesque præfatas habere proprietates. Est enim *Vna*, quia ab vno Christo Deo & homine, & sub capite, & in vnum finem nempe gloriam, & sub certis medijs, præceptis, Sacramentis, ac Sacrificiis est instituta. *Sancta*, quia plures Sanctos continet, & quia Sanctos efficit, & quia ad salutem habent Sacramenta ac media Sanctissima, *Catholica*, quia per omne tempus idem docet, & docebit. *Apostolica*, quia doctrinam Apostolorum sequitur, etiam si typis mandata non sit. *Visibilis*, quia visibiliter apparet, esse congregationem, & quia sub visibilibus Sacramentis, ac culti visibili est instituta. Habet Spiritus Sancti assistentiam & protectionem, quod colligitur non leuiter ex eo, quod semper eadem perseuerat, nec vento doctrinæ circumfetur. Ex quibus concluditur esse vnicam salutis viam. Quæ quidem omnia sætis hæreticorum conuenire non possunt, sed solum Ecclesiæ Romanæ, vt expendenti facillè patebit, & latè ac erudite prosequitur Valentia 2.2. dub. 1. question. 1. punct. 6. §. 20. & seq.

184
In Ecclesia
regula infallibilis
veritatis
datur.
Profecto in Ecclesia regula infallibilis veritatis datur, quæ doctrinam credendam fidelibus proponat, sedet quæ fidei controuersias. Porro hæc regula infallibilis in nullo alio nisi in Romano Pontifice resideret. Quia eū in aliquo residere debeat, nullus apparet, qui sit, nisi Petri successor, nec enim aliud dictum est, nisi Petrus, ac eius successoribus. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Ego rogabo pro te, vt non deficiat fides tua. Item Pater meus. Ergo ex Christi autoritate successor Petri autoritatem habet pascendi fideles omnes infallibili doctrina tum ad fidem, tum ad mores pertinente.*

185
Nullus Pontifex
reputatus potest
in rebus fidei proponendis
errare. Quia cum Pontifex veritatem ali-

quam fidelibus credendam proponit, ipsi fideles ei assentire tenentur: alias non haberet Pontifex autoritatem efficacem regendi Ecclesiam, sed Ecclesia obligari non potest falsæ propositioni assensum exhibere, alias enim posset tota Ecclesia errare, quod est contra diuinam prouidentiam, ac Christi Domini promissionem dicentis, Spiritum veritatis semper in Ecclesia mensurum. Ergo nequit à Pontifice summo falsum pro vero proponi. Confessio est ab omnibus Catholicis recepta cum D. Tho. 2. 2. q. 1. a. 10. Vuald. 4.2. Doctr. amique fidei, c. 47. & 48. Turrecr. 1.2. sum. à c. 107. usque ad 112. Cano de locis, l. 6. a. c. 3. ad Valent. 2.2. d. 1. q. 1. pun. 7. Bannes 2.2. q. 1. a. 10. dub. 2. concl. 4.

quit in rebus
fidei
proponendis.

D V B I V M XXI.

An de fide sit Pontificem errare non
posse in Sanctorum canonizatione?

Certum est apud omnes, Pontificem vel ex malitia, vel ex ignorantia errare posse in sententia aliqua ferenda circa res gestas. Quia potest innocentem condemnare, & reum absolueret. Deinde errare posse secundum prudentiam in multiplicandis legibus circa res agendas, quæ non ita Ecclesiæ conuenientes sunt. Ex quo sæpe oritur mutare, vel abrogare Pontificem, quæ eius prædecessores statuerunt. Nunquam tamen dicendum est, in speciali casu errare. Quia esset temerarius, qui id dicere auderet: cum præsumptio semper debet esse pro tanto Legislatore. Denique certum de fide esse credo, non posse Pontificem aliquid ab vniuersali Ecclesia obseruandum statuere, quod legi diuinæ vel naturali sit contrarium. Quia de fide est, Pontificem errare non posse in quibus pascendis: sed oves non solum doctrina fidei, sed morum institutis pascuntur: ergo de fide est, in his institutis errare non posse. Legendus Bannes 2.2. q. 1. a. 10. concl. 4. & concl. 2. ad 3. Controuersum vero est, an Pontificem errare non posse in canonizatione Sanctorum de fide sit.

186
Nonnulla
certa præmissio.

De fide non est. Quia Sanctorum canonizatione fit ex testimonio habito de Sanctitate, & miraculis eorumdem: At hoc testimonium est cum humanum sit fallax esse potest: Ergo de fide non est Pontificem non posse aberrare. Et quia si fide diuina credere teneremur canonizationem in superis esse, fide diuina credere teneremur, illa miracula, & Sanctitatem, quæ motus fuit Pontifex ad canonizationem, vera esset. At hoc est impossibile, quia impossibile est, fide diuina credere veritatem, quæ reuelata non sit. Sed miracula, ac Sanctitas canonizati illius, imo status illius in cælo nullibi reuelata sunt: Ergo. Sic D. Tho. quodlib. 9. a. 11. D. Antonin. p. 3. tit. 12. c. 8. Caiet. Opusc. de indulg. ad Iulii. capit. 8. Cano libr. 5. de locis, cap. 5. Bannes 2.2. q. 1. articulo 10. dub. 7. concl. 2. Adiciunt tamen ita certum esse, Pontificem errare non posse circa diuorum canonizationem, vt temerarium sit, & scandalosum.

187
De fide non est.

TOBAR
MOR.
VI. VII.
IV.

26 Theologiæ Moralis Liber XLVII.

sum, hæresimque sapiens affirmare, Pontificem errare posse.

188
Est de fide.

De fide est. Quia (vt supposui) de fide est, Pontificem errare non posse in legibus vniuersalem Ecclesiam spectantibus: non enim potest aliquid statuere contrarium legi diuinæ, & naturalis: sed si errare posset in Diuorum canonizatione statueret legem diuinæ, ac naturali legi contrariam: Ergo de fide est, in iis errare non posse. Minorem probō. Quia Pontifex Sanctum canonizans, obligat fideles omnes assentiri, illum in cælis commemorari, & tanquam Dei amicum cultu affici: si autem adesset error, iam fideles falsitati assentiri obligarentur & veneratione indignum venerari: quod est legi diuinæ ac naturali contrarium. Ita Valenr. 2. 2. d. 1. qu. 1. pun. 7. quæstion. 6. §. 40. Palao tom. 1. tr. 4. d. 1. pun. 5. §. 4.

189

Hanc sententiam probabiliorem esse reor.

Probabiliorem hanc sententiam esse non dubito. Pontifex enim non solum ex testimonio humano ad gerendam canonizationem monetur, sed ex speciali instinctu & assistentia Spiritus Sancti, ratione cuius eius declaratio firma, & infallibilis existit. Et quidem credenda à nobis est Diui canonizati Sanctitas fide diuina, non tamen miracula allegata. Quia à miraculis canonizatio non pendet necessario; vera enim esse potest illius Sanctitas & in superis assistentia, quin miracula allegata vera extiterint.

D V B I V M XXII.

An beatificatio distinguitur à Canonizatione eo quod canonizatio obligat totam Ecclesiam, vt canonizatum veneretur: beatificatio verò totam Ecclesiam non obligat?

190
Quid beatificatio.

PRæmitto, beatificationem esse quamdam facultatem concessam alicui speciali Prouincia, vel Ecclesiæ vel Religioni, vt aliquem tanquam Sanctum, & in superis existentem colat. Sed quia colere potest multiplici cultu, scilicet Missæ Sacrificio, orationibus, processionibus, publicis votis inuocatione illius, & Imaginis gestatione: Pontifex beatificando illū simul etiā determinare potest, quoniam sit cultu venerandus. Quæstio autem qua ratione beatificatio à canonizatione distinguitur?

191
Distinguitur à canonizatione.

Distinguitur beatificatio à canonizatione. Quia canonizatio obligat totam Ecclesiam, vt canonizatum veneretur: beatificatio verò non obligat totam Ecclesiam: imo neque Prouinciam, pro qua beatificatio conceditur, vt beatificatum veneretur; sed solummodo eius venerationem permittit. Sic nonnulli, quos, presso nomine, memorat Ferdinand. de Castro Palao tom. 1. tract. 4. dub. 1. punct. 5. Parag. 4.

192
Non distinguitur in eo.

Non ex eo distinguitur beatificatio à canonizatione, sed eo quod ea canonizatio est facultas concessa non alicui Prouinciæ speciali, sed vniuersali Ecclesiæ, aliquem vt Sanctum venerandi, beatificatio autem est facultas quedam concessa alicui Prouinciæ, Ecclesiæ, vel

Religioni speciali, vt aliquem tanquam Sanctum colat: & cōsequenter est facultas venerandi eum eo cultu, quo solent Diui canonizati veneratione affici. Ita Palao citatus & Doctores communiter.

Profecto primæ sententiæ distinctionem nullatenus subsistere posse reor. Quia de ratione canonizationis non est, obligare totam Ecclesiam, vt canonizatum veneretur: nā si ad hoc obligaret, obligaret quidē ad aliquē cultū à tota exhibendum Ecclesiæ: ac proinde vt tota Ecclesia vel Missam, vel preces, vel processionem aliquam in eius honorē exereret: quod non fit specialiter de omnibus Sanctis. Ergo solum ex vi canonizationis facultas canonizatum venerandi: præceptum autem alicuius venerationis non fertur quoad exercitium, sed ad summum quoad speciem: hoc est, si circa Sanctum illum aliquam actionem exercere debeas, ea cultus, & venerationis sit. Quare tam canonizatio, quam beatificatio est facultas Sanctum publico ritu solemniter venerandi: non tamen videtur esse præceptum de illius expressa, seu quoad exercitium veneratione.

D V B I V M XXIII.

An Pontifex possit in beatificatione Sanctorum errare?

ERRare potest, in beatificatione, etiam si in canonizatione (vt vidimus) errare nequeat. Quia ex hoc errore non sequitur, vniuersalem Ecclesiam errare: siquidem non proponitur Sanctus ille vniuersali Ecclesiæ colendus. Sic non infirmæ notæ in manuscripto Theologus.

Minime errare potest, & scandalosum, temerariumque erit affirmare, in beatificatione Sanctorum Pontificem posse errorem admittere. Quia abique fundamento vilo, & contra rectam motum institutionem dictitabitur. Ita Doctores communiter. Lege Castrum Palao tom. 1. tr. 4. d. 1. punct. 5. §. 4. numer. 3. & 4.

Existimo, nullum Catholicum posse contrarium defendere. Vnde proculdubio doctus ille id non asseruit, sed pro ratione dubitandi apposuit. Idcirco crediderim, eadem certitudine tenendum, Pontificem errare non posse in beatificatione Sanctorum, ac in canonizatione. Quia Doctores loquentes de canonizatione & affirmantes Pontificem errare non posse, nihil de beatificatione scripsere. Ergo signum est, sub canonizatione voluisse beatificationem comprehendere. Porro Pontifex concedens in beatificatione, vt aliquod Missæ Sacrificium in Diui beatificati honorem celebretur, toti Ecclesiæ eum venerandum proponit: nomine enim totius Ecclesiæ Sacrificium offertur, ipsaque tota Ecclesia medio illo Ministro & Sacrificio ab illo oblato Sanctum illum veneratur: sed in his quæ pertinent ad vniuersalis Ecclesiæ cultum Pontifex errare non potest: Ergo. Abnegetur itaque non

non sequi vniuersalem Ecclesiam errare, si erret Pontifex in beatificatione. Nam licet à Pontifice non proponatur venerandus per vniuersalis Ecclesiae Ministros, proponitur tamen venerandus ab vniuersali Ecclesia per speciales aliquos Ministros, & hoc sufficit, vt Ecclesia ipsa errare dicatur.

D V B I V M XXIV.

An cum conceditur Religioni cuidam Sanctum beatificatum rita in beatificatione praescripto venerari die, quo è vita discessit: possint Clerici seculares Sacrificium in illius honorem offerre?

¹⁹⁷ *Quaestio* ¹⁹⁸ *Minime potuerunt* ¹⁹⁹ *quidem* ²⁰⁰ *hic longe* ²⁰¹ *Quaestio* ²⁰² *statu rexponeo, & ostendo* ²⁰³ *de fide esse* ²⁰⁴ *Pontificis in* ²⁰⁵ *litem eternam pertinentem* ²⁰⁶ *media aliqua* ²⁰⁷ *in approba-* ²⁰⁸ *tionis Reli-* ²⁰⁹ *gionis finis* ²¹⁰ *ac mediortu* ²¹¹ *errare non* ²¹² *posse.*

Conceditur (ex.gr.) Religiosis nostrae Societatis venerari D Ludouicum Gonzaga, vel D. Franciscum Borgia (quos Pontifex beatificationis honore donauit) Sacrificio Missae, & Horis Canonici die, quo è vita discessit: poterunt & Clerici seculares processionem gerere solemnem Sacrificiumque in eius honorem offerre siue in sua Ecclesia, siue in nostris, siue ipso die, quo è vita recessit, siue alio?

Minime potuerunt. Quia nemini licet absque Sedis Apostolicae auctoritate aliquem honore publico venerari. *cap. 1. de reliquis & venerat. Sancti.* Sed Apostolica Sedes solum Societatis IESV Religiosis hos Dignos venerari concessit: Ergo nulli alij licebit eos venerari Sic Ludouic. Torres 2. 2. disp. 17. dubio octauo.

Poterunt quidem. Quia vna Missa in vno loco eiusdem valoris est, & æstimationis, ac plures Missae pluribus in locis celebratae: Ergo Sedes Apostolica concedens, vt in honorem alicuius Diui Missa aliqua celebretur, simul declarat dignum esse, in cuius honorem omnes dici possent. Sed hac declaratione facta, tollitur prohibitio relata in *cap. 1. de relig. & vener. Sancti.* in quo cauetur, neminem esse venerandum sine Sedis Apostolicae auctoritate. Nam cum hunc Sanctum ex tua deuotione veneraris, id sedis Apostolicae auctoritate geris, quæ indicauit, dignum cum esse illa veneratione. Ita doctissimi, quos consului, Magistri: Sed vt huic sententiæ adhæream sufficit mihi P. Ferdinandum de Castro eam defendere *101. de fide tr. 4. di. pun. 5. §. 5. n. 5.*

Profecto longe pius, & probabilius esse crediderim, posse quemlibet Sacerdotem Missam votiuam dicere & votiuum officium recitare in honorem beatificati Diui pro quo Sedes Apostolica concessit alicui speciali Religioni, vel Prouincia Missam, & officium proprium aliquo die celebrare. Id ostendo exemplo cuiuslibet canonizati Diui, in cuius honorem omnes conueniunt, posse vbilibet & quolibet die quemlibet Sacerdotem Missam dicere, non quidem propriam, forte enim nec pro vno die illi est assignata, sed votiuam, iuxta Missae votiuæ regulas, eo quod à Sede Apostolica dignus est iudicatus, cui is honor Esobar, & Mendoza, Theol. Moral. Tom. VI.

exhibeatur, sed etiam in Sancto beatificato simile iudicium fecit, cum Missam in ipsius honorem dicere aliquibus personis permisit. Ergo. Neque obstat, si dicas verum esse, Romanam Ecclesiam concedentem, vt in honorem alicuius Diui Missa celebretur, simul declarare, dignum esse, vt ab omnibus Sacerdotibus illo cultu venerari valeat: inde non inferri, posse omnes Sacerdotes illum venerari, non quia beatificatus dignus non sit, sed quia ipsi sunt impediti. Non inquam, obstat: quia nemini publicum religiosum cultum ex deuotione alicui exhibendum impeditur, nisi quia is, cui est exhibendus, non iudicatur à Sede Apostolica dignus illo. Quod constat aperte ex his quæ dicit Alexander III. in *cap. 1. de relig. & venerat. Sancti.* Vbi occasione aliquorum, qui homuncionem quemdam in potatione, & ebrietate occisum venerabantur tanquam Mariyrem, subiungit: *Ilum ergo non praesumatis de cetero colere, cum etiam si per eum miracula fierent, non liceret vobis ipsum pro Sancto absque auctoritate Romana Ecclesie venerari.* Ergo solum ad venerationem exhibendam requirit Alexander, vt prius Romana Ecclesia illum pro Sancto exponat: Sed eo ipso quod concedit Romana Ecclesia, Missam in honorem ipsius celebrari, illum pro Sancto venerari: siquidem exhibet illi supremum cultum, quem potest exhibere: Ergo hac concessione facta, quilibet poterit eodem cultu Sanctum beatificatum pro deuotione venerari.

D V B I V M XXV.

An Pontifex secundum leges prudentia possit in Religionum approbatione errare?

²⁰¹ *Quaestio* ²⁰² *statu rexponeo, & ostendo* ²⁰³ *de fide esse* ²⁰⁴ *Pontificis in* ²⁰⁵ *litem eternam pertinentem* ²⁰⁶ *media aliqua* ²⁰⁷ *in approba-* ²⁰⁸ *tionis Reli-* ²⁰⁹ *gionis finis* ²¹⁰ *ac mediortu* ²¹¹ *errare non* ²¹² *posse.*

Vm Pontifex Religionem aliquam vitæ approbat institutum sub voto Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ tanquam aptissimum, & Evangelio admodum conforme ad salutem consequendam. Hoc autem institutum contineat finem aliquem ad diuinam gloriam, & salutem eternam pertinentem: & media aliqua, quibus hic finis valeat obtineri. Porro fide esse affirmo, non posse Pontificem in approbatione huius finis, & mediortum, quæ sibi proponuntur, errare: ita vt approbet (quam consentaneum Evangelicæ perfectioni, quod verè consentaneum non sit. Valent. 2. 2. di. 1. pun. 7. §. 41. Et colligitur ex Concil. Constant. sess. 8. vbi damnatur error Viclephi asserentis impudentissimè omnes Religiones indifferenter esse à diabolo introductas: cui errori non leue patrocinium esset, si Pontifex posset aliquam Religionem contrariam Euangelicæ perfectioni approbare vt conuenientem. De fide igitur est, Pontificem, quatenus talis est errare non posse in iis, quæ ad fidem, ac mores vniuersalis Ecclesie pertinent: non enim potest vniuersalem Ecclesiam aliquod falsum docere: alias non esset in Ecclesia promissus spiritus veritatis: At si Pontifex approbans aliquod Religiosum institutum tanquam Euangelicæ perfectioni conueniens, approbaret quod re vera conueniens non esset, sed potius contrariu: errore pernicioso

TOBAR
E Mor.
VI. VII.
IV

nicioſo Eccleſiam obtruderet: Ergo id fieri nullatenus poteſt. Quare in er Catholicos ſolum eſſe poteſt difficultas, num ſecundum leges prudentiæ Pontifex poſſit errare aliquam Religionem approbando, cuius inſtitutum licet malum non ſit neque perfectioni Evangelicæ contrarium: eſt tamen minus cõueniens Eccleſiæ, vel quia nimis durũ, vel laxum ſit, vel quia ex illo ſequitur confuſio aliqua in Eccleſia, & feruoris ſpiritualis in aliis Religionibus imminutio.

²⁰² Poteſt ſecundum prudentiam Pontifex in Religionis alius approbatione errare. Quia Innocent. III. in *c. ult. de Religioſis*, & Gregorius X. in *c. eodem tit. in 6. prohibent ſtrictius nouarum Religionum inſtitutionem, ne nimia Religionum diuerſitas grauem in Eccleſia Dei confuſionem inducat. Sentit ergo Pontifices, tunc temporis conueniens non eſſe nouã Religionem inſtituere. Et quia negari nõ poteſt, poſſe Pontificem leges rerum agendarum, & quæ neceſſariæ non ſunt ad ſalutem, multiplicare, vt earum multiplicatio rectæ Eccleſiæ gubernationi ſit inconueniens: Ergo ſimiliter poterit Religionem ita multiplicare, vt earum multiplicatio confuſionem inducat, ac Eccleſiæ regimini præiudicet. Sic Bannes 2. 2. qu. 1. art. 10.*

²⁰³ Minimè vel in hac parte poteſt Pontifex errare. Quia ſi Pontifex Religionem admittit quam ſpectatis omnibus circumſtantiis debet reicere: Eccleſiam obligat ad rem aliquã, quæ non in eius adificationem, ſed potius in deſtructionem credit: ſi quidem obligat Eccleſiam, ne Religionem illam reiciat, ſed potius accipiat, & Religioſos illius ſecum habitare permittat: quæ Religio, vt ſupponitur, ſpectatis omnibus circumſtantiis, minus ſibi conueniens eſt, quam eſſet illius carentia: ſed Pontifici data non eſt poteſtas obligandi Eccleſiam in iis, quæ ipſi nociua ſunt: Ergo non poteſt Pontifex approbare Eccleſiæ vniuerſali Religionem nociuam ex quacumque parte nocuumentum proueniat. Ita Valentia, citatur.

²⁰⁴ Ego quidem exiſtimo dicendum, nunquam præſumendum eſſe Pontificem in cuiusvis Religionis approbatione minus caute, & prudenter ſe geſſiſſe. Quia eſſet non levis iniuria irrogati ſummo Præſuli, & contra debitam reuerentiam, ac ſubordinationem, quam debent fideles ſuo ſupremo exhibere paſtori. De facto tamen & in re ipſa minus caute ac prudenter procedere aliquando poteſt: non quidem approbando Religionem, quæ re vera ex ſe ſit inconueniens: ſed quæ ex adiunctis circumſtantiis minus conueniat. Neque aliud probant Bannes argumenta, quibus ratio Valentia non obſtat. Corcedo enim, Pontifici datam non eſſe poteſtatem obligandi Eccleſiam ad ea, quæ ipſi abſolute nociua ſint, & in illius deſtructionem. Alias pluries legum obligatio ceſſaret, neque firmi eſſe in illarum executione poſſemus. Mecum P. Caſtro Palao 10. 1. tr. 4. de fide, d. 1. punct. 5. §. 6. n. 4.

DVBIVM XXVI.

An Concilium generale ſumptum pro omnibus Patribus Concilij, in rebus Fidei definiendis, ante Pontificis confirmationem ſit inſallibilis veritatis?

²⁰⁵ Eſt quidem. Quia Concilium generale auctoritate Pontificia coactum repræſentat totam Eccleſiam & maxime ſi inibi adſint ſedis Apoſtolice legati, vt docuit Martinus V. in fine Concilij Conſtantiens. Sed Eccleſia vniuerſalis errare non poteſt, alias aduerſus Eccleſiam portæ inferi præualerent: Ergo Concilium etiam vt diſtinctum à Pontifice eſt inſallibilis veritatis, ſi pro omnibus Patribus Concilij ſumatur: ſecus ſi pro maiori, parte congregatorum. Sic Melchior Cano l. 5. de locis, c. 5. Bannes 2. 2. q. 1. a. 10. dub. 4. concel. 2. & ad 1. argum. circa finem.

Ante confirmationem Pontificis nullum Concilium quantumvis generale pro omnibusque Patribus congregatis ſumptum eſt inſallibilis veritatis. Quia nemini niſi Petro, & eius ſucceſſoribus conceſſa eſt ſpiritus diuini aſſiſtentia, ne in rebus fidei errare poſſit. Sed concilium quantumvis congregatum ſit Pontificis auctoritate non eſt Petri ſucceſſor, ſed ſolum Pontifex: Ergo Concilium vt diſtinctum à Pontifice non eſt inſallibilis veritatis. Profecto omnia Concilia, quæ in Eccleſia habent auctoritatem, à Sede Apoſtolica ſunt approbata, vt conſtat, ex c. Significati, de elect. ubi Paſchalis Pontifex ait: Omnia Concilia per Romanæ Eccleſiæ auctoritatem facta ſunt, & robur acceperunt. & in cap. Concilia, diſt. 17. inquit Symmachus: Quod quia non habent præſentationem, (id eſt Pontificis auctoritatem) valentinum perdidit. Ideoque Concilia hanc confirmationem expoſtulant, vt videri poteſt ex his quæ reſert Turrecr. libr. 3. cap. 34. & conſtat ex Tridentino ſeſ. vltim. in decreto de ſine Concilij ibi enim decernitur, petendam eſſe per legatos à Sede Apoſtolica confirmationem. Sentiant ergo Concilia, abſque hac approbatione, & confirmatione ſtrictius, & inſallibiliter veritatem non poſſe edocere. Ita Valent. 2. 2. dub. 1. quæſt. 1. punct. 7. Paragra. b. 45. Palao rom. 1. r. 4. de fide, dub. 1. punct. 5. §. 7. numer. 4. & alij communiter.

Ego quidem hanc ſententiam indubitatam eſſe exiſtimo. Cum videam, à Concilio generali, quantumvis legitime congregato dari ad Romanam Sedem appellationem: Sed à prima & inſallibili regenda veritatis non poteſt appellatio dari, vt veritas de ſe conſtat: Ergo Concilium, ſecluſa Pontificis confirmatione, non eſt prima regula, inſallibilisque veritatis. Maior propositio, in qua eſt difficultas, deciditur à Bonifacio VIII. Extrauag. Vnam Sanctam, de maioris. & obediens. inter communes & latè, ac eruditè probat Turrecr. l. 3. ſum. c. 47. & D. Tho. de panit. q. 10. art. 4. ad 13. Addiderim, aliqua eſſe Concilia generalia auctoritate Pontificis approbata, non tamen confirmata.

Secio II. De Fide, Dubia. 29

confirmata, in quibus aliqui errores inueniuntur: Ergo Concilium à Sede Apostolica non confirmatum in fallibilis veritatis non est. Antecedens probatum ex Concilio Ephesino II. quod fuit à Leone Iudicatum, non tamen confirmatum, quod errores Diocori & Eueychetis admisit, vt tradit idem Leo Epist. 12. 13. 21. & sequent. Tū ex Concilio Basiliensi sub Eugenio IV. cuius defectus expendit Torrecrem. lib. 3. de Eccles. capit. 100. & Caiet. tract. de authorit. Pontif. capit. 8.



CAPVT XVII.

Circa Fidei subiectum.

DVBIVM XXVIII.

An primus parens in statu innocentie habuerit Fidem diuinam?

²⁰⁸ **N** Adamo ante lapsum non fuit actus fidei diuinæ, sed notitia quædam excellentior, media quidem inter fidem, & visionem beatificam. Quia actus fidei diuinæ est cognitio obscura, quæ in Adamo saltem in eo excellentissimo innocentie statu erat indecens. Sic Magist. in 2. dist. 23. Hugo de Sancto Vi. l. de Sacram. p. 6. c. 14. Alen. in summ. de virtut. Gandau. quodlib. 7. question. 14.

²⁰⁹ **In** Adamo ante lapsum fuit Fidei diuinæ actus. Quia Adam etiam in statu innocentie absque dubio habuit mysterij Trinitatis, ac Dei glorificationis cognitionem: At non cognitionem fidei Angelicæ; non enim est verisimile, id accepisse ab Angelis; neque cognitionem euidentem, quia non intuitiuam, vt patet. neque abstractiuam, nullus namque erat effectus per se Trinitatis, vt Trinitas est, ex quo id deducere posset; neque erat aliquis Dei effectus glorificationis, ex quo id posset colligere: Ergo id cognouit ex reuelatione Dei; ac proinde habuit fidei diuinæ actum, qui non incongruebat Adamo adhuc in statu felici. Quia in eo quauis felici erat purus viator. Ita Theologi communiter edocent, teste Gaspare Hurtado de fide, d. 7. diff. 1.

²¹⁰ **Hoc** longe probabilius esse non dubito. Quod quidem deduco ex Paulo ad Hebr. 11. Sine fide (ait) impossibile est, placere Deo, & accedentem ad Deum oportet credere. Adamus autem in statu innocentie etiam placuit Deo, & ad eum accessit. Ergo actum fidei diuinæ gessit. Quod fuit satis congruum, quia est conuenientissima dispositio ad Sanctificationem, seu accessum ad Deum. Quod autem Adamus in eo statu fuisset Sanctus, satis indicatur Sap. 2. ibi: Deus creauit hominem inextinguibilem, & ad imaginem similitudinis sue fecit illum. Et Ecclesiast. 1. Deus fecit hominem rectum. Et supponitur in Concilio Trident. sess. 5. de peccato orig. can. 1. Escob. & Mend. Theol. Moral. Tom. VI.

dum dicitur: Ad m per transgressionem mandati, statim Sanctitatem, & iustitiam, in qua constitutus fuerat, amississe. Cæterum circa obiecta, quæ Adam in statu innocentie credidit, conueniunt Theologi credidisse explicite omnia mysteria ad Diuinitatem, & etiam ad Sanctificationem, & beatitudinem spectantia, quæ nos credimus. Sub lite autem est, num Incarnationis mysterium explicite crediderit. Lessius partem negatiuam tuetur de predest. Christi, sect. 2. n. 26. At Suar. 3. p. q. 1. a. 3. Valq. 3. p. d. 1. c. 13. Coninch d. 17. partem affirmatiuam tradunt. Quorum menti subscribo. Quia iudicio fuisse maxime congruum, tantum mysterium Parenti primo in eo statu reuelari, vt ex tunc tantum miserationis diuinæ portentum veneretur. Nihilominus ei non fuisse reuelatam futuram Incarnationis occasionem nempe ipsius peccatum, ne ipsi in eo adeo felici statu nimia tristitia immitteretur.

DVBIVM XXIX.

An Angeli in statu viæ habuerint Fidem diuinam?

Certum est ex Doctorum consensu Angelos prius fuisse viatores, postmodum verò ex illis alios beatitudine donatos fuisse, alios addictos damnationi. Hoc supposito, quæserim, num Angeli in statu viatorum fidei diuinæ actum habuerint.

Non habuere in statu viæ fidei actum adhuc circa mysteria supernaturalia: sed horum tantum euidentem cognitionem habuerunt. Quia Angeli habuerunt euidentiam reuelationis Dei circa supernaturalia mysteria: ex reuelatione autem euidenter constante inferitur euidentis rei reuelatæ cognitio medio illo syllogismo: Quidquid Deus dicit est verum, &c. Sic Durand. in 3. dist. 2. q. 9.

Habuere quidem in statu viæ fidei diuinæ actum. Quia Angeli in eo statu habuerunt cognitionem supernaturalem Mysterij Trinitatis, & Dei glorificationis, non quidem euidentem: Ergo cognitionem fidei diuinæ. Ita D. Tho. 2. 2. q. 5. art. 1. Torrian. 2. 2. d. 4. 1. Aub. 2. Coninch de fide d. 17. n. 16. Petr. Hurtado de Mendoza d. 59. sect. 1.

Huic Theologorum sententiæ communi adhæreo, adiiciens, Angelos in primo sui creationis instanti huiusmodi fidei actum gessisse, vt aduertit D. Tho. & Theologi communiter. Quia in eo instanti potuere cum actum elicere: & in eodem fuere in Sanctitate creati (vt Turrianus affirmat) & gratia, quæ adultis aut quasi adultis nõ cõferitur extra Sacramentum absque Charitatis actu, ad quem necessarius illis fuit fidei diuinæ actus. Quod si in primo instanti fuere creati in gratia & Sanctitate, etiam in eo fuit illis infusus fidei diuinæ habitus, absque quo nunquam in Viatoribus Sanctitas & gratia reperitur: præsertim cum in eo instanti actum habuerint fidei, qui non potest connaturaliter absque habitu elici.

²¹¹ *Questionis status.*

²¹² *Non habuerunt Fidem*

²¹³ *Fidem habuerunt.*

²¹⁴ *Huic communi quidē adhæreo sententiæ.*